

Qui Natalis verborum novorum fuit inventor cupidissimus; cf. e. g. Automedonteus 31, 143; ardivus 49, 3; blandidulus 4, 4; Caucasus i. q. barbarus 35, 4; dictamen 48, 3; 63, 3; inacerbus (cf. inacerbare) 50, 40; perambire 19, 121; properamen i. q. properantia 31, 27; Stagireus 51, 83; superbulum i. q. superbia 35, 25; tacitura i. q. taciturnitas 45, 11; virilega Circe 59, 45 (cf. venefica Ov. am. III 7, 79: *Carter*, Epith. deorum, s. v.) et c.

Sic Paelignum poetam homines medii aevi ad novas formas fingendas incitasse etiam hoc parvo exemplo clare apparet. Sed etiam hoc elucet, Francisci nostri vocem *claviger* male compositam esse. Nam clavum teneri, non geri testes sunt plurimi (cf. Cic. Cato 17 cum . . . ille gubernator clavum tenens quietus sedeat in puppi; epist. ad fam. 9, 15, 3 sedebamus in puppi et clavum tenebamus; Sen. dial. 6, 6, 3 at ille [sc. navigii rector] vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clavum tenentem; Th. L. L. s. v.).

Belgradi.

Miroslavus Marković.

DE INSTRUMENTALI SIMILITUDINIS

Apud Enn. Ann. 250 Warmington (=Vahlen³ 253) *deducunt habiles gladios filo gracilento* scriptum legimus, quod Warmington his verbis Anglice reddidit: They beat out handy swords like (!) slender thread. qua interpretatione inductus verbis *filo grac.* similitudinem exprimi persuasum habeo. in linguis vero Slavicis similitudo casu instrumentali affertur, cf. palaeoslav. *крѣвь теѣаѣ рѣками*; russ. *naletěla starost' černym voronom* (Vondrák, Slav. Gramm. II 352 sub „Instr. des Vergleiches“). cuius casus duo tantum exempla Latina, quod sciam, inveniuntur: hoc Ennianum et Livianum (43, 13, 4) illud: *Reate imbri lapidavit* (=lapides velut imber de caelo ceciderunt).

Ljubljana.

M. Grošelj.